



DISSERTATIONE JURIDICA
VALEDICTORIA

L. JULIAM
MISCELLAM
ABROGATAM ET
DENUO REVOCATAM

Favente DEO Optimo Ter Maximo
PRÆSIDE

VIRO Nobilissimo, Consultissimo atque Clarissimo
DOMINO

CASPARO à RHEDEN,

U. J. D. Ejusdemque Facultatis in Illustri
Gymnasio Bremensi Professore Cele-
berrimo Ordin. Publ.

Promotore studiorum suorum pio cultu
perpetuo devenerando

Exhibet

Et Publica venilationi submittit

JOHANNES DIDERICUS

Kannengiesser Bremensis,


Responsurus Author

Ad diem XVIII. Maji An 1714. h. locoque consuetis.

BREMÆ,

Typis HERMANNI BRAUERI, Illustr. Gymn. Typog.

V. xiv. N. 3



TRIUNI DEO,
PATRIÆ PATRIBUS

Felicissimis, Gravissimis, Dignissimis,

PARENTI,
PRÆSIDI *hujus Disputationis,*
POPULARIBUS *ac*
AMICIS

Hoc exiguo Laboris Valedictorii Specimine

A R A M

Animi Devotissimi, subjectissimi, ob-
servantissimi, venerandi & ad quævis prom-
tissimi, Mentè Manûque gratissimâ erigere
voluit debuitque

Tutorum & tot Nominum

Cultor Humillimus, Perpetuus Immutabilisque

Author. & Defend.



Σὺν θεῷ πανσοφῶ

Disputationis Juridicæ

De

L. JULIA MISCELLA

Abrogata, Revocata.

Thef. I.

POLYGAMIAM SIMULTANEAM; tanquam filiam à sola libidine progenitam, non immeritè ab Imperatoribus Christianis fuisse proscriptam penitus, nemo ignorat, vid. Melch. Ziegl. *Theol. Region. in dissert. d. Polygam. p. m. 115. & seqq. & Dn. Gerh. von Maastricht vir de republica literaria, & patria nostra merentissimus, & summus Polyhistor in notis ad Moys. Amyrald. disquisit. d. Jur. Nat. quod Connubia dividit ex gallica versas à Celeb. Dn. Reinholdo Disquisit. 3. p. 129. & seqq. ubi polygamie initia & progressus quoque panduntur. Secundas tamen nuptias, quas distinctionis gratia Juris Consulti POLYGAMIAM SUCCESSIVAM vocant, nulla lege esse prohibitas procul dubio habetur. Qui eam juri Nature non congruere clamitant, afferant necesse est prohibitionem Creatoris tanquam unicum fundamentum omnis juris naturalis prohibitive, de qua frustra laborant; homines autem potentis à Natura instructi mortuo priore conjuge novas contrahendi nuptias licite utuntur, donec appareat prohibitio ex voluntate Dei, & pro libertate agendi pro lubitu tam diu præ-*

Polygamia non simultanea, sed successiva omni jure licita.

Δ

præ-

præsumitur, donec probetur restrictio: Jll. Dn. Coccej. in *Posit. Jur. Nat.* 1. & ad eam nuperrimè Cramer. in *Not.* Imò finis matrimonii naturalis, quem ipse Creator in institutione ejus intendit, non solum in procreatione Sobolis, sed etiam in mutuo consistit adjutorio, qui uterque finis æquè adest, si Maritus superstes mortuâ priore conjuge ad matrimonium novum feratur, & quæcunque rationes pro matrimonio primo extant, eadem nec obstant secundis nuptiis. De *Jure Divino* res dubio caret, quo injunctæ, nempe expressè per *Deuteron.* 25. v. 5. observatas quoque esse referunt innumera loca, inter alia autem *Genes. c.* 28. *per tot. it. Matth. 22. v.* 24. 25. Ut enim taceamus viros sanctos, qui non manserunt vidui; De Abrahamo vid. *Genes. 25. v.* 1. De Davide. 1. *Sam. 25. v.* 42. ab Apostolo sunt concessæ *ad Rom. 7. v.* 3. & nulla validior in rem hanc *ætiologia* adduci potest, quàm ejusdem Apostoli 1. *ad Corinth. 7. in fin.* Observantia siquidem pactorum, quæ sunt inter Maritum & Uxorem obligant quamdiu uterque conjugum vivit, & hætenus neuter plenum dominium in suum corpus habet, ast alterutro mortuo, Corpus superstitis quasi postliminio redit in pristinum jus libertatis, quamvis Apostolus in *disc. C. 7. epist. 1. ad Corinth.* abstinentes beatiores prædicet, non odio secundis nuptiis proprio, sed tam ratione incommodorum illius temporis, quàm ut Deo melius vacare possint, ut pluribus differit Hüber. in *Lib. 1. digression. Cap. 14. per tot. Jure Romano* quoque omni tempore licitas & permittas fuisse secundas nuptias elata conjuge priore probat *T. 7. C. de Sec. Nupt. L. 4. C. de bon. qua liber. l. 1. l. 9. 10. 11. pr. §. 2. ff. de his qui not. inf. l. 4. C. ad Sc. Tertull. l. 7. §. Auth. Quòd Mater C. de revoc. donat. Nov. 39. C. 2. Nov. 2. C. 3. Nov. 22. per tot. ubi Cujac. §. in paratit. ad Tit. C. de sec. Nupt. Carpz. *Jurispr. Ecclæs. Lib. 2. Tit. 9. defin. 158.**

II.

Canonum
jure secun-
de nuptiæ
male au-
diunt.

Jus Canonicum autem secundas nuptias damnat cum Tertulliano, qui in *lib. de Monogamia,* item *de Castitate.* carnale quiddam & pudori repugnantem matrimonii repetitionem vocat; contra verò Spiritualius & Divinius quiddam esse censet in uno



uno Matrimonio acquiescere, sicut Ecclesia unum Deum pro Marito suo credit & agnoscit, sentiens; Idque ex mero nuptiarum odio voluerunt Pontifices: Hinc secundò nubentibus pœnitentiam indicit c. 8. *caus. 31. quest. 1.* Et nuptiæ secundæ quondam sine benedictione Dei perficiebantur teste Ambrosio ad c. 7. 1. *ad Corinth.* ubi addit concessas saltem esse propter incontinentiam; Ideò quoque Bigami à ministerio Ecclesiastico repellbantur. vid. Sanch. *de Matrimonio. lib. 7. disp. 82. num. 16.* Qui duabus nuptiis implicitus fuit, nec Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec denique in consortio sacerdotali esse poterat. *Can. SS. Apost. 16. Nov. 22. c. 42.* Quare Irenæum Episcopatu, quem post binas nuptias consecutus erat, dejici jubent Imp. Theodosius & Valentinianus in l. 3. §. 4. *C. de sum. Trinit.* Nec Clericus potest esse digamus *Nov. 22. c. 42.* Igitur & Chrysostomus in c. 9. secundas nuptias verè fornicationem esse credit. Et *Id. in Homil. 2. in Epist. ad Titum, Nostis profecto,* inquit, *omnes, quòd, etsi per leges (Romanas) secundæ nuptiæ permittantur, multis tamen eæ accusationibus pateant.* Ulterius etenim quàm par erat, hinc progressi sunt Patres, nam Presbyterum bigami nuptiis interesse vetabant, *Can. 3. Concil. Neocæsar. & Can. 7. ejusd.* unde descriptus *Can. 8. Caus. 31. Q. 1.* ut viduam Presbyteri aut Diaconi iterùm nubentem communionem indignam judicarent juxta *Can. 18. Concil. 1. Tolentian. & Can. 32. Concil. Epaumensis.* Imò postea Pontifices Romani non tantum secundas sed & primas nuptias Ecclesiæ ministris & Clericis prohibuerunt.

Secundas nuptias damnandi occasionem dederunt multi Patres per immensas suas laudationes cœlibatus & continentiæ, Dn. von Mastricht in *not. ad dict. disquisit. 3. p. m. 101.* Est quoque non à vero alienum, prohibitionem secundarum nuptiarum falsa hypothesi gentilium niti, quæ crediderunt obligationis nexum adhuc post mortem primi Mariti in animo conjugis superesse, quod Elisa sentit apud Virg. *lib. 4. Ænead. v. 25.*

Cujus rationes explicantur.

*Sed mihi, inquit, Vel tellus, optem, prius ima dehiscat,
Vel Pater Omnipotens adigat me fulmine ad umbras,*

*Ante pudor quam te violem, aut tua jura resolvam.
Ille meos primus, qui me sibi junxit amores
Abtulit, ille habeat secum servetque sepulchro.*

Quamvis ejus soror Anna melius edocta fuerit, quando responderebat:

Id cinerem aut manes credis curare sepultos?

Quæ verba Petronius in *Satyrico* p. m. 141. egregiè applicat in colloquio militis cum Matriona quadam, quæ ita stultè cadaver sui mariti deplorabat, ut & per quinque dies nihil cibi, neque vini caperet. Non modò a. fœminis sed & gravioribus viris hanc opinionem insitam fuisse videmus, Tertulliano certè, qui in libro de *Monogam. Superstites cum mortuis adhuc remanere animo junctos* & in resurrectione se cognituros invicem iterumque spiritualiter conjunctum iri, seriò contendit, eamque conjunctionem in plures sparsam corrumpi violarique disputat, vid. *Matth.* 22. v. 29. & 30. ubi contra Sadducæos hoc thema tractat Servator noster, qui resurrectionem ab eodem absurdè argumento refutare volebant.

III.

Quid sint
secundæ
nuptiæ.

Secundæ autem Nuptiæ, quid hoc loco sint, ex dictis jam satis constat, nempe quas priore matrimonio morte alterius conjugis dissoluto, superstes cum alia persona contrahit: Quæ autem post primas contrahuntur, omnes appellantur secundæ, licet sint tertiæ, vel quartæ. *L. 4. pr. C. de bon. quæ liber. rubr. & L. 6. C. de sec. nupt. Perez. in Cod. eod. Gothofred. in not. ad rubr. C. eod. Forsterus de successione lib. 7. c. 9. 4. & seqq. Menoch. consil. 4. n. 38. Vol. 1. Rol. à Vall. cons. 72. n. 41. ubi dicit, quod dispositum est de secundo conjugio locum etiam habet in tertio adeoque in infinitum, Muller. ad Struv. exc. 29. thes. 52. lit. a. Gudelín, de J. noviss. lib. 1. c. 12. in pr. Sic septem viros sibi conjunxisse unam mulierem, exemplum referunt Sadducæi apud *Matth.* 22. v. 25. 26. 27. & aliud octinubæ habemus in *Tobia* juniore, qui sibi Saram eligebat uxorem, quæ septem viros jam sepelierat, *Tob.* 8. v. 12. Romæ honorem fuisse habitum mulieris, quæ 22. viros & ejus marito postremo, qui 20. ordine uxores extulerat, refert Boërius *Decis.* 186. & ex illo aliisque Gothofred. in not. ad rubr. C. de sec. nupt.*

IV.

Quamquam igitur non prohibita apud Romanos, ut De odio
th. r. dictum, odiosa tamen fuerunt nuptiae secundae & binu- Romano-
tae; imò multorum matrimoniorum experientiam legitime cujusdem in- run & di-
temperantiae signum existimarunt. Valer. Max. lib. 2. c. 1. Et con- versarum
trà matronae honestae, & quibus pudicitiae gloria erat semel gentium
tantum viro nubebant, atque corona pudicitiae honoraban- erga se-
tur, id. ibid. vid. in fragm. XII. Tab. Tit. 17. de Nupt. in f. ibique cundas nu-
Gothofr. in not. lit. l. m. unde Horatius lib. 3. od. 24. Dos est ma- ptias.
gna parentum virtus, & metuens alterius viri certo fœdere castitas.
Inde (I.) Nuptiis suis Pronubas univiras adhibebant auspicii
causa (quae Romani uti de omnibus ferè captabant, ita nu-
ptias non celebrabant, nisi auspiciis felicibus, Hinc & Juve-
nalis Satyra X.

Veniet cum Signatoribus auspex.

Festus de verb. signif. lib. 6.) ut singulare perseveret matrimonium;
quod & ex his Catulli in Carmine de Nuptiis Julii & Manliae, constat

Vos unis senibus bonae
Cognitae bene feminae,
Collocare puellulam.

Et Tertullianus in lib. qui exhortat. ad Castitatem inscribitur,
Virginibus, inquit, legitime nubentibus univira Pronuba adhibetur, &
sic auspicii initium fit, vid. Fragm. XII. Tab. d. Tit. in pr. ibique
Gothofr. in not. lit. m. (II.) Quae iterum nupsisset nunquam
fortunae muliebris, aut pudicitiae simulacrum attingere pote-
rat, nec his sacra facere, uti docet B. Hieronym. in calce lib. 1.
advers. Jovian. & ex eo Briffonius in tract. de Ritu Nupt. pag.
m. 206. Idem refert. Livius lib. 9. c. 23. Eodem ferè ritu, ait, quo
illa antiquior, & haec culta est ara, ut nulla nisi spectata pudicitiae ma-
trona, & quae uni viro nupta fuisset jus sacrificandi haberet. (III.) Si-
ne ulla hominum frequentia nuptias secundas celebrabant, &
quasi clandestinas, & plerumque noctu, uti ex Plutarcho re-
fert Joh. Meurs. cap. 20. in Mantissa ad lib. de Luxuria Romanor.
Hinc (IV.) lapidibus sepulchralibus suis inscribi curabant,
quod fuerint univirae, tanquam rem laudis plenissimam: un-
de vetus lapis apud Meursium all. loc.

(6.) 50
VOLUSIAE. JUSTAE. MATRI. SIMAE,
OMNIUM. FOEMINAR. TIORI,
UNIVIRIAE.

& in altero lapide
TRANSEGI. FALSI. SECULI. VITAM.
UNIUS. VIRI. CONSORTIO.

Unde Cornelia apud Propertium lib. 4.

*Jungor, Paule, tuo sic discessura cubili,
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.*

Et paulò post ad filiam.

*Filia tu specimen censura nata paternæ,
Fac teneas unum nos imitata virum.*

Unde jocus & morsus Martialis

*Inscriptis Tumulo septem celebrata vivorum
Se fecisse Schloë, quidpote simplicius?*

Item Juvenalis Satyr. VI, v, 229, ironice de muliere cui octo
mariti fuerant brevi tempore, ita canit.

*Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti,
Quinque per autumnos: Titulo res digna sepulchri.*

V.

Maximè
si superes-
sent ex
priori thro-
ro liberi.

Præprimis autem turpe habitum ad alia transire vòta,
& non perpetua viduitate castissimi animi sinceritatem osten-
dere, si ex priori matrimonio liberi prognati superessent prio-
rem conjugem nomine facieque experientes, arg. l. 15. §. 1.
C. de secund. nupt. Sichardus ad l. 3. C. de sec. nupt. n. 12. Dum li-
beri orbatu patre quasi in limine vitæ negligenterentur: unde Eli-
sa apud Virgilium:

*Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset,
Ante fugam Soboles, si quis mihi parvulus aulâ
Luderet Aeneas, qui te tantum ore referret,
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.*

VI.

Unde Poe-
nas varias
scripserunt
secundis
nuptis facti.

Unde apud Romanos variæ secundarum nuptiarum poe-
nas variæ erant, & per leges & mores hodiernos liberis prioris ma-
trimonii adversus imminentiã ex secundis nuptiis mala tristitia
prospectum fuit, Cum indies doceamur secundas nuptias
prio-

prioris thori liberis sapius esse damnosus, adeò ut Matres Vitricum inducentes præsumantur maritis novis non solum nec filiorum, sed etiam vitam addicturæ. *L. 22. C. de Admin. tut.* Et Patres Novercam in domum inducentes credantur pleurumque novercalibus delinimentis & infigationibus corrupti maligne circa sanguinem suum illaturi iudicium, secundum *Cajum in l. 4. ff. de Inoff. Test.* Unde Seneca in *consolat. ad Matrem Helviam. cap. 2. Crevisi sub noverca, quam tu quidem omni obsequio & pietate, quanta vel in filia conspici potest, matrem fieri cõegisti: Nulli tamen non magno constitit & bona Noverca. Quò spectat filii quærela apud Virgil, in Bucolic:*

Est mihi namque Domi Pater, est injusta Noverca.

Et Justinianus ex hac ratione in *L. 3. C. d. sec. nupt.* Matrem vocat jam secundis nuptiis funestatam.

VII.

Aliæ autem nuptiæ secundæ *immaturæ* l. 1. *C. de sec. Nupt. Disting. J.* s. *festinatæ*, *Aliæ maturæ*, s. non *festinatæ*: uti eas dividunt *R. in ma-Struv. Exc. 29. th. 53.* & *ibi Muller, Voet. ad ff. de Ritu. nupt. turas & n. 198.* Illas autem vocamus *immaturas*, quæ à sceminis intra an-*Immaturum* (quem *lugubrem* appellant leges teste Justiniano, in *Nov. ras, bar. 39. c. 2. pr.*) à defuncti mariti obitu contrahuntur. Tholosan. *pœnæ. in Syntagm. Jur. Civ. lib. 9. c. 26. n. 17.* Quondam verò ille annus decem mensibus circumscriptus erat, *l. 2. C. de sec. nupt. ad quod Ovid, 1. Fastor., respicit.*

————— Romulus anno

Constituit menses quinque bis esse suo,

Per totidem menses à funere conjugis uxor

Sustinet in vidua tristia signa Domo.

Et paulò post

Hoc luget spatio scemina mœsta virum,

Multas autem incurrit legum pœnas scemina, ita festinanter nuptias reiterans; Prima pœna dictata ab ipsa lege est Infamia ex Edicto Prætoris, quæ ipso jure factum sequitur. *L. 1. l. 11. ff. de his qui not. inf. l. 15. C. eod. l. 1. l. 2. C. de sec. nupt. l. 4. C. ad Sc. Tertull. Sichard. ad d. l. 1. C. de sec. nupt. n. 9 Nov. 22. c. 22. pr. Colleg. Argentor. ad Tit. de his qui not. inf. Quæ pœna*

poena infamiae plurimas alias secum traxit, e. gr. quod tali Mulieri portae dignitatum non paterent, ad quas foeminae alias admittebantur, & plurimas alias enumerat Decius in l. 2. de R. J. num. 6. Quod à testimonio repellatur autor est Sichard, ad d. l. 1. n. 12. (II.) Mulier intra annum luctus nubens marito secundo, non nisi tertiam bonorum partem, si ve in dotem dare, si ve testamento, vel alia ultima voluntate relinquere poterat d. l. 1. § 2. C. de sec. nupt. Nov. 22. c. 26. etiam si ex priori thoro nulli essent liberi. Gudelin. de J. Noviss. lib. 1. C. 12. (III.) Non potest talis mulier ex testamento extraneorum aliquid capere ullo titulo, si ve haereditis, si ve legati, si ve fideicommissi nomine, si ve mortis causa donatione d. l. 1. § d. Nov. 22. (IV.) Ea retinere nequit, quae Maritus illi propter nuptias donaverat. l. 2. C. de sec. uupt. Nov. 39. c. 2. pr. Rittersh. ad Nov. P. 4. c. 3. n. 8. Nov. 22. c. 22. pr. Nec (V.) agnatis vel cognatis succedere ultra tertium gradum potest. l. 1. C. de sec. nupt. Poenarum autem tam durarum ratio erit, quia maritos suos elugere solent & debent. l. 8. ff. l. 15. C. ex quib. caus. inf. Cujac. ad Nov. 22. pr. Et ne alioquin si non expectato tempore nubere, sanguinis inde oriretur confusio, prolisque seu generationis incertitudo. l. 11. §. 1. ff. d. T. l. 53. §. ult. C. de Episc. & Cleric. Muller. ad Struv. exc. 29. th. 53. lit. 3. § 4. Haec autem coërcitiones omnes cessant in viris, utpote in quibus dictae rationes minime quadrant, l. 9. ff. d. t. Nov. 22. c. 16. pr. Gudelin. de J. Noviss. lib. 1. c. 12. & Groenw. d. LL. abrog. ad l. 1. § 3. C. d. sec. nupt. ubi de moribus Batavorum. Jure autem Canonico poenae in festinationem nuptiarum constitutae sublatae sunt cap. ult. § pen. X. de sec. nupt. Zoësius ad Dig. lib. 3. T. 2. num. 4. Tulden, in Cod. Tit. de sec. nupt. n. 6. Perez. in C. ad Tit. eund. n. 4. Wissenb. ad Dig. part. 1. disp. 11. th. 19. Voet. ad ff. T. de Ritu Nupt. n. 98. cujus etiam praëjudicium affert Ant. Faber in Cod. ad Tit. de sec. nupt. defn. 1. quod tamen non admittendum, nisi tantum temporis spatium fuerit transactum, unde possit constare, illam non esse gravidam, aut nisi vidua partum jam ediderit.

Ratio harum poenarum.

Post annum verò luctus prædictas quidem pœnas effugiet mulier, attamen lex eorum liberis, qui ad secunda vota transeunt, subvenit, quia eos ex his exhoneratos videt. *Nov. 22. c. 23.* (quas nuptias *maturas* & non festinatas nominamus.) Et hæc videtur ratio ob quam Imperator tam mulieribus, quàm viris ad secundum thorum venientibus pœnas communes esse voluerit *l. 5. pr. C. de sec. nupt. Nov. 2. c. 2. §. 1. & Nov. 22. c. 23. ibi & hæc communis viro & Mulieri mulcra sit posita.* Ob paritatem sc. damni, quod ab utroque liberis secundo matrimonio infertur, & quod utroque casu priores liberi per posteriores domesticos affligantur. *Nov. 22. cap. 29.* Quoad Novercas tralatitium est plerarumque odium in privignos esse incredibile, & libidinem injuriandi esse insatiabilem, quo de Piccardus *in observat. Histor. decad. 7. cap. 6. ita canit:*

De Novercarum odio.

Nulla Noverca bona est, vel enim odit inique fovendos Privignos, odii feminæque aucta fovet:

Vel morem si præter amat, quoque lædit amando, De quo videantur tristissima exempla apud Balth. Bonifacium *in Histor. Ludicra passim.* Unde & pro gravi inimicitia Novercale odium, & ipsum nomen Novercæ pro insigni malo habitum in illo Virgiliti:

Ipsa dies quandoque Parens, quandoque Noverca.

Imò dictu horrendum ferè est, quod Novercæ nonnunquam in necem suorum conjurent, & novercales, ut Tacitus vocat, manus propriis visceribus inferant. Petr. Gregor. *Lib. 36. c. 8. n. 9.* Quod ad Patres attinet, qui Novercam liberis super in ducunt, quantum eis noceant, à scriptoribus passim traditum est. *vid. Th. VI.* Unde quoque proverbium natum: *Wer eine Stieffmutter hat / der hat auch einen Stieffvatter.* Arnif. *de Regim. c. 4. Sect. 2. n. 68.* Forster. *de Success. ab intest. l. 7. c. 9. n. 7. & §.* Quam ob rem Charundas Sibaritis legem tulit, ut qui liberis Novercam superinducerent à consilio Senatus & Patriæ submoverentur, nunquam ab iis existimans

B

pa-

10.)

patriam recta & salubria consilia sperare posse, qui liberis olim propriis malè consulissent. Diod. Sic. lib. 12.

IX.

*Pœna ma-
turarum.*

Pœnæ hæ erant I. circa lucra nuptialia prioris matrimonii, quòd horum & binubus & binuba amittant proprietatem. *L. 5, C. de Sec. Nupt. Nov. 22. c. 16. §. 2. Rittersh. ad Nov. c. 4. n. 7. Struv. Exc. 12. th. 5. n. 3. Exc. 29. th. 53.*
II. Circa successione in bona liberorum: Quicquid enim mater secundò nupta ex liberorum successione consequitur, id reliquis ejusdem matrimonii æqualiter servare debet, nisi ex eorum testamento perceperit, aut bona aliunde quàm à patre ad liberos provenerint. *L. 3. §. 1. Junct. auth. Ex testamento. C. de sec. Nupt. Nov. 22. c. 23. §. c. 46. §. 1. §. 2. vid. Anton. Math. de Matrim. Disp. 6. th. 6. §. seqq. Struv. Exc. 29. th. 53.*
III. Circa alia bona conjugis secundò nubentis propria, quòd nimirum in conjugem non possit vel actu inter vivos, vel mortis causa plus transferre, quàm uni ex liberis, & quidem cui minimum dedit prioris matrimonii. *L. 6. pr. C. d. T. Nov. 22. c. 27. Rittersh. c. 5. Et satis prolixè hoc tractat Voet. ad ff. T. de Ritu Nupt. n. 110. usque ad n. 130. incl. Quod præjudicio confirmat Struv. d. l. vid. ibi Mullerus in not. Quod & in plurimarum Regionum & Civitatum Statutis cautum est, juxta quæ & viduus & vidua ad secundas nuptias transientes bona tam paterna, quàm materna prout in communiione fuerunt, cum liberis ex æquis partibus dividere tenentur, vorhero Richtigkeit machen mit den Kindern. Brunnem. in f. l. 10. C. de sec. Nupt. arg. Auth. si tamen mater. C. de sec. Nupt. Usù quoque receptum hoc esse referunt Doctores, de Austria testatur Hartw. à Dassel. ad Statut. Luneburg. 15. n. 14. De Thuringia Modest. Pist. p. 4. quest. 164. in pr. De Marchia Brandenburgensi Scheplitz ad consuet. Brandenburg. ad §. 2. T. 2. part. 3. Lubecæ Statuta vid. apud Mevium ad Jus. Lubec. p. 2. T. 2. art. 2. Mindæ Leges in hanc rem Crusius ad Jus. Statut. Mindens. lib. 2. tit. 2. Decis. 2. exhibet, Luneburgi Statuta vid. apud alleg. Dassel. d. l. Hamburgensia Statuta Statut. Hamburg. lib. 3. c. 3. art. 3. §. 4. Sed malè de patriæ nostræ Statutis Modest. Pistor. Vol. 2. Conf. 2. in pr. idem*

idem refert, cum Statuta nostra inter viduum & viduam maximum statuunt discrimen. Sola enim vidua tenetur antea prioris matrimonii liberis tutores petere, & cum iis dividere sub poena 60. librarum, verba *Statut. 22. Ordel. 86. §. 5.* sunt: *So vor ene Wedewe / de Kinder hebbe / un ehnen Mann nehmen wolde / de en schall nich Dyschlappen / Se en hebbe tho vohren gedeelt mit ohren Kindern / und der Kinder Vormunder tho der Kinder Handt by 60. Punden.* Idem disponitur in der *Rundigen Kullen art. 49.* Non idem dispositum de viduo, qui in omnibus bonis, quamdiu ea fideliter administrat, manet, & parificationem, ut vocant, cum posterioris matrimonii liberis inducere potest: *Kreffting. in Gloss. ad Stat. 7. §. 2.* cum quo convenit *Stat. reform. 184. vid. disp. sub Domini Praesid. Praef. hab. d. Success. Conjug. Statutar. th. 40. IV.* Educationem amittit & curam liberorum l. 1. C. ubi pup. mor. aut educ. Nov. 22. c. 38. vid. *Struv. Exc. 27. th. 53. inf. Exc. 31. th. 61.* ibique *Mullerus. V.* Ad secunda se conferens vota mulier statim amittit filiorum tutelam. L. 2. §. *Auth. Sacramentum. C. quando mul. tut. off. fung.* VI. Iterum nubens donationes liberis prioris thori factas, propter ingratitude revocare non potest, l. 7. §. ei subj. *auth. Quod mater. C. de revoc. donat.* exceptis tamen tribus casibus iis in d. *Auth. §. Nov. 22. c. 35.* expressis, *Muller. ad Struv. Exc. 29. th. 53. lit. aa.* vid. pluribus *Johann. de Garron. in tract. de Paenis §. Remed. secundo Nubentium*, qui invenitur in *Tractatu Tractat. vol. IX. p. 116. 117. 118. 119. 120.* ubi 49. poenas recenset. Quousque autem adhuc vigeant, & ubinam in viridi observantia hodie sint, videatur *Disp. eruditiss. Inaug. Dn. Schemmeringii de Abrogatione §. Respective observantia Paenarum circa secundas nuptias. th. 34. usque ad fin. §. Dn. Alex. Arnold. Pagenstech. in Irnerio Injuria vapulante. coit. 43. §. 8.*

X.

Odium hoc secundarum nuptiarum quoque causam de- *Interquas*
dit, quod tam binubus, quam binuba ea, quae ipsis à conjugè amissio *Le-*
praedefuncto sub conditione viduitatis relicta erant, amitte- *gati sub*
rent. L. 1. §. *Auth. cui relicta. C. de Interd. Viduit. Auth. Hoc conditione*
locum C. si secundo nups. Mulier. *viduitatis,*

B 2

XI.

XI.

Quod ali-
quo per L.
Jul. Mi-
scellam mo-
do cautum
fuit.

Hocque cautum fuisse certo modo lege nostra JULIA MISCELLA indicat apertissimè l. 2. C. de Interd. viduit. Et L. Jul. Miscella toll. Et Nov. 22. c. 43. & varias particulas legis hujus exhibet Nov. 2. per tot. Et à Gracis lib. 48. Βαρυσίων. vid. Cujac. in Parat. ad Tit. C. de Interd. vid. Hanc autem legem voluisse conditionem si nuptias non contraxerit omninò seruari post luctus annum, si velit legatum accipere, indubitatum est, & infra pluribus demonstratum veniet.

XII.

Frequentif-
sime apud
Rom. con-
ditiones
viduitatis.

Conditio-
num genera
explican-
tur.

Solertissimi erant & maximè scrupulosi Romani, qui vi-
duis suis hæreditatem aut legatum aliquod relicturn adscribe-
re solebant varias condiciones, inter eas erat frequentissima,
Cajæ uxori meæ mille do, lego aut hæredem eam instituo, si non reite-
ret nuptias, aut si vidua manserit. Contraria erat sententia &
stolida Doctoris cujusdam Paduani, qui referente Paul, de
Castro ad l. 27. d. cond. Instit. in testamento suo mandaverat,
ut corpus suum sepeliretur cum tubis, Et ut CELEBRARENTUR
NUPTIÆ UTQUE UXOR INDUERETUR PANNIS RUBEIS, si
hæres esse vellet. Cæterum hanc conditionalem hæredis Institutio-
nem, aut legatum fuisse, nemo non videt: Quid autem sit
conditio notissimo notius est, qualitas actus, negotium in fu-
turum Et incertum eventum, seu casum, qui evenire, vel non evenire, vel
aliter evenire potest, differens. Richter. de condition. th. 8. l. 41. de
V. O. l. 10. §. 1. de Cond. Inst. l. 69. de Hæred. Instit. Wissenb. ad
ff. part. 1. Disp. 57. n. 1. Quid ergò hæredis institutio conditio-
nalis, seu hypothetica, ex dictis facillè liquet, sc. adfectio cer-
te alicujus circumstantiæ sub qua hæredis institutio differtur, in casum
futurum, incertum donec existerit. Böhmer. ad ff. T. de Cond. Inst.
n. 1. Eckholt ad ff. T. eod. §. 1. Requiritur autem l. Ut rem
differat in futurum casum, hinc patet condiciones veras non
esse, quæ tempus præsens vel præteritum respiciunt, uti vi-
dere est in l. 100. de V. O. l. 37. ff. de Reb. Cr. Quænam au-
tem sint veræ condiciones probat l. 10. §. 1. de cond. Inst. l. 19.

l. 39. de R. C. Natura enim conditionis est, ut rem suspendat. II. ut differat actum in casum incertum, Böhm. d. l. Wisfenb. d. l. Hinc dividuntur quoque in Possibiles & impossibiles, derisorias & turpes, quæ ultimæ pro non scriptis habentur nec institutioni nocent. L. 9. l. 14. § l. 27. ff. de cond. Inst. l. 3. ff. de Cond. & Demonstr. l. 113. §. 5. de Legat. 1. Porro conditionem Possibilem dispeſcunt Dd. iterum in Potestativam, quæ à voluntate & potestate nuda illius dependet, qui eam implere debet, l. 4. §. 1. ff. de Hered. Instit. Casualem, quæ tota dependet à casu, vel arbitrio tertii, & Mixtam, quæ partim à casu, vel arbitrio tertii, partim à voluntate illius dependet cui adscripta. L. un §. 7. C. de caduc. tollend. Quicumque autem non sui heredes sunt, sub quacunque conditione possibili institui possunt. §. 9. J. de Hered. Inst. l. 33. l. 68. ff. eod. l. 4. pr. de cond. Inst. Schoepf. ad ff. Tit. eod. n. 15. Requiritur autem, ut sit possibilis & factio §. 10. J. eod. § Lege, contra bonos mores enim quod est, pro impossibili habetur. L. 8. l. 9. l. 15. ff. de Cond. Inst. l. 20. de Cond. & Demonstr. l. 26. eod. l. 5. C. de Inst. & substit. Voet. ad ff. T. de cond. & Demonstr. n. 15. Wesenbec. ad Tit. ff. de condit. Inst. Uti & impossibilis sit conditio ex perplexitate rerum vel verborum, quæ ob præstationis difficultatem, imò dicerem impossibilitatem, derisoriam ferè reddit Testatoris voluntatem, uti exempla exhibent, l. 4. §. 1. ff. de statu lib. & l. 16. de cond. & Demon.

XIII.

Ad turpes has & vitiosas conditiones referebant quoque primis temporibus Romani illam si non nupserit, ut pote libertati nuptiarum frenum injicientem, eâ ergò non obtante legatum fœminas ad secunda vota transeuntes petere potuisse, indubitati juris est per l. 72. §. 5. l. 64. inf. l. 22. ff. de Cond. & Demonstr. Idque indistinctè, non habita ratione inter primas & secundas nuptias obtinebat. dd. ll. Zaf. ad ff. Tit. eod. n. 15. Franzk. 1. Resolut. 15. n. 12. Ratio remissionis hujus conditionis erat favor matrimonii, cui planè contraria erat hæc conditio tanquam nuptiarum invida, l. 62. §. f. l. 74. d. T. Nihil enim esse hominibus nuptiis utilius, inquit Imperator, tanquam solis

B 3

face.

facere homines valentibus. Nov. 39. in f. Prafat. Idcirco & optimam hanc rationem idem allegat in l. 2. C. de Ind. vid. Nam augeri magis vult rempublicam, & multis hominibus legitime progenitis frequentari. d. l. 2. Hinc Divus Hadrianus in l. 7. §. 3. ff. de Bon. damnat. Favorabilem apud me causam libero- rum Albini, filiorum numerus facit, cum ampliari Imperium hominum adjectione potius, quam pecuniarum copia malim. Quo tendit & dictum Regis Salomonis Prov. 14. 28. In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis. Et Civium numerus maximum est & firmissimum Urbis ornamentum, inquit Valer. Max. in c. 9. lib. 2.

XIV.

Unde celi-
bum & mi-
fogamorum
odia &
contra po-
lipaidias
premia.

Hinc & olim coelibes & misogami ab omnibus gentibus & odio, & ludibrio habiti fuerunt, multisque ignominiosis nominibus contemnebantur, & poenis subiciebantur, maxime à Romanis à primis inde Paliilibus, quod militari populo maxime necessarium erat. Observatum hoc quoque est apud Germanos veteres semper, qui barbaro illos nomine & turpissimo Hagestolken insigniverunt, quasi dicas in sola sibi placencia superbos, in sua superbia sese delectantes. Schottel. de Vet. German. juribus c. 1. n. 5. Goldastus in Tom. II. Antiquit. Allemannic. pag. 96. Multis quoque coërcitionibus & poenis ad connubia coacti sunt. Plato enim sapienter hanc legem fancivit. lib. 16. de Legibus. Si quis vivat in civitate absque connubio & egerit triginta quinque annos, singulos annos si de maximo censu drachmis centum mulctetur; si de secundo septuaginta, si de tertio sexaginta, si de quarto triginta in arario solvat. Quod & apud Romanos moribus invaluisse testatur eleganter Val. Max. d. lib. 2. c. 9. n. 1. ubi, Consumti sunt anni vestri & mariti & Patris nomine vacui: Ite igitur & nodosam exsolvite stipem utilem, posteritati numerosa. Coelibes nihil ex Testamentis civium capere potuisse author est Sozomenus lib. 1. cap. 9. vid. Th. XVI. & XVII. Disp. hujus. Et talis misogynus, quod amittat ipse jus potestatemque testandi, & relinquere bona acquisita debeat Magistratui sui domicilii refert Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. Tit. 10. art. 6. Sunt itaque bona Hagestolii inter illa recen-
sen-

senda, quæ indignis auferuntur sec. Schottel. *cap. 1. n. 11. 12.*
 Et apud Athenienses mos ille invaluit, quod tales nuptiarum ofores sceminae annuatim circumagerent crinibus virgisque & flagellis cederent publicas circum aras, usque dum ad effugiendam talem ignominiam sponfam sibi eligerent. Schoenborn *in Polit. lib. 1. cap. 5.* de his & aliis aliarum gentium moribus & juribus videatur quoque Schottel. *c. 1. per tot. ubi facietam historiam de Virginibus Miliseis id. n. 22.* refert, quæ videatur quoque apud Balthaf. Bonif. *in Histor. Ludicr. lib. 1. c. 12.* Et contra magnus antiquitus favor erat sobolis procreandæ & insignia Polipaidias præmia erant, sic Pater trium liberorum incolumium Legationibus publicis liberatus fuit. *l. 1. C. de Legation. qui quinque à muneribus personalibus. l. 3. §. 6. ff. de munerib. & honor. qui duodecim onus collectarum deprecabatur. l. 24. C. de decur. Sedecim liberorum parens ab omnibus oneribus personalibus & patrimonialibus immunis erat. l. 5. §. 2. de Jure Immunit. Egregius quoque locus est Taciti lib. 2. Annal. c. 5. qui numerum liberorum etiam in Candidatis præpolluisse dicit. vid. Duaren. Disput. Anniversar. lib. 1. c. 40. & Hüber, Lib. 3. observ. Jur human. cap. 20. num. 2.*

XV.

Remissio autem conditionis, de qua th. 13. facta est per *condit. si Leges Juliam & Papiam*, quæ duæ leges diversæ sunt, quam nuptias non vis in multis juris nostri locis modò Julix, modò Papiæ distinctim, modò Julix & Papiæ conjunctim, sæpius verò Lex Poppæa Papiæ appellentur, uti in *l. 19. l. 23. l. 44. ff. de Ritu Nupt. per LL. §. 2. J. de success. libertor. l. 6. §. 1. C. de oper. libertor.*

Remissio

Jul. & Pap.

XVI.

Lex autem Julia authorem habuit Julium Cæsarem Augustum, unde & nomen traxit, & aliquando dicitur *Lex Julia de Maritandis Ordinibus*, uti *l. 1. §. 1. ff. unde Vir & Ux. l. 6. §. 4. ff. de Jure Patron. l. 6. §. 1. C. de oper. libert.* Lata est An. U. C. 736. Cujus capita præcipua hæc erant: Ut justæ fierent nuptiæ. Ut omnes Cives Romani viginti quinque annis majores uxores, sponsasve haberent. Ut qui liberos injuria prohiberent

L. Julia.

rent

rent uxores ducere, vel nubere, à Magistratu cogerentur in matrimonium collocare & dotare. Ne quinquaginta annis minor Sexagenario nuberet, neque vir hac ætate junior quinquagenariam uxorem duceret. l. 27. C. de Nupt. Quapropter apud Plautum in *Mercator. scen. ult.* has senibus sexagenariis quasi à re venera jam per ætatem exclusis ac submotis Leges dicit: *Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus seu maritum, sive herclè adèd cœlibem scortarier, cum eo nos hic Lege agemus.* Et huc refert Brissonus in *Tr. de Jur. Connub.* verba Terentii in Adelphis.

Satirn, ait, sanus es?

Ego novus maritus anno demum quinto & sexagesimo fiam. Erat caput aliud quod vetabat, ne cœlibes quicquam ex testamentis caperent. arg. l. 11. ff. de vulg. & pup. subst. l. 35. ff. de Mort. caus. donat. ibique vid. Gothofr. in not. Ulpianus in fragm. Tit. 13. 14. ibique Vinnius. id. Tit. 17. T. 22. Wissenab. ad ff. P. 2. disp. 33. th. 5. Petrus Müller. in *Tr. Præsidia Domus illustris c. IV. post. 1.* Knipschild de *Fideicom. c. 1. num. 2.* Cœdd. de *V. S. ad l. 128.* Quicquid autem his relictum erat caducum fiebat & fisco vindicabatur, nisi intra centum dies se declararet uxorem ducturum cœlebs. Ulpian. in fragm. Tit. 17. de his vid. Zaf. in *catal. Legum Antiquar. & Hotom. in tr. de Legib. Prat.*

XVII.

Item Legis
Papie.

Alterà autem Lex, Papia Poppæa quæ vocatur, & toties in inscriptionibus legum occurrit, uti in LL. 128. usque ad 154. excl. ff. de V. S. item in LL. 59. usque ad 65. excl. ff. de cond. & demonstr. it. LL. 43. usq. ad 50. de Rit. Nupt. add. Tit. de iure Patron. passim, patrum præmia pro liberis suscipiendis continebat, & Marco Papio Mutilo & Cn. Poppæo secundò CoSS. An. 762. V. C. à C. N. XII. originem debet, Legique Julia ab Augusto Cæsare adjecta est postmodum, secundum Tacit. lib. 3. *Annal. c. 25.* Franzk. lib. 1. *Resolut. 15. n. 5.* Plurima & diversa habuit capita, quæ maximè tendebant ad facilitanda matrimonia; uti de præmiis maritorum & patrum; ut in petitione præferrentur, qui plures liberos procreassent; ut præferrentur in sorte provinciarum; ut diutiùs obtinerent;

ut

ut primi sententiam rogarentur ; Ut iis gratia fieret anno-
rum in petendo magistratu ; Ut foemina à morte viri bien-
nium , à divortio annum & sex menses haberent , antequam
coelibatus poenas incurrerent ; Ulpian. *Tit. 13.* ibique Gothoff.
Dion. *lib. 56.* vid. Tacitus *all. loc. § cap.* & ibi *note Mureti*
Scottel. *de Vet. Germ. jurib. c. 1. n. 21.* Balduinus *de L. Julia* &
Papia post LL. XII. Tabb. refert , nullam Legem de J. Civili
Romæ latam fuisse & latius patuisse , quàm hanc legem Ju-
liam & Papiam , in quam non minus ac in LL. XII. Tabb.
Jætorum Veterum commentarii extant lique longiores. Nam
Mauritianum *libros 6.* Marcellum *totidem* , Cajum & Ulpianum
15. Terentium Clementem *18.* Paulum *12.* scripsisse tradit Id.
in *pr. & post eum Franz. d. l. n. 6.*

XVIII.

Legum autem harum præcipua ratio in eo erat , quòd *Ratio ha-*
Romani calcar quasi addere civibus ad contrahenda matri- *rum LL.*
monia voluerint , nec non tollere omnes nuptiarum in-
vidas conditiones , unde omnes , quæ adversabantur
nuptiis , & eas impedire videbantur , pro non scriptis & nul-
las habebant , & cum ita detracta testamento essent , relictum
capere sive legatarius , sive hæres poterat acsi nulla conditio
adscripta , aut ipse pure institutus fuisset. Cùm reipublicæ
maximè intersit augeri civium numerum *l. 63. §. 1. l. 64. §. 1.*
ff. de Cond. § demonstr. Ergò expediebat illas , ut bono publico
contrarias , remitti *l. 2. ff. ad Sc. Tertyll. § Orbit.*

XIX.

Hæ autem utræque Leges postmodum per Legem Ju- *Harum*
liam Miscellam paululum restrictæ non solum , sed aliquo quo- *LL. restri-*
que modo correctæ fuerunt. Quæ non ut Mercatori *Lib. 1. titio § mu-*
Notat. 2. Cujac. in *Paratitl. ad T. C. de Ind. viduit.* it. Perez *ad tatio facta*
eund. Mullero ad Struv. ex. 35. th. 97. lit. v. aliisque placet , no- *per Legem*
men accepit à varietate seu mixtura personarum , quòd viris *Juliam*
nempe æquè ac foeminis , Juvenibus , ut & virginibus & ex- *Miscellam,*
traneis relinquere hac lege sub conditione , si non nuptias con- *de cuius o-*
traxerit , permissum fuerit : *Nov. 22. c. 44. pr. § 8.* & re- *rigine*
rum , ceu pars L. & Julia & Papia : Hinc Siculo Flacco ajunt , *DD. non*
C *As, conveniunt,*

Æs Miscellum, quod Lex erat s. Tabula ænea multorum agrorum, multarumque personarum modum & seriem comprehendens; sic A. Gellius *Miscella Doctrina* pro consulsænae utitur: & argumento pro confirmanda sententia sua utitur Mercator, *Miscellorum* quandam familiam nunquam Romæ existisse; sed nescio qua fide, fortè quodd scriptores Romani ejus vix meminerint: quasi verò omnes familias, præsertim autem non *Patritias*, ibi legamus. De'n afferunt quoque quòd in *Nov. 22. c. 43. pr. Julia Miscella* legatur Ἰούλιος Μισκέλας, non igitur ibi Autor dicunt, sed lex notatur: sed ꝛ. hoc in prima ejus mentione, concurrente verbo νόμος aliter exprimi non potuisse: Ast paulò ulterius inspiciant *dict. Nov. dissidentes* necesse est, ubi satis dilucidè à se invicem separatam causam & effectum, seu Authorem & Legem deprehendent: in *d. c. 43.* sunt verba αὐτὸς ὁ Ἰούλιος Μισκέλας, quæ Haloander in versione aliter referre non potuit, quàm ipse *Julius Miscella* ꝛ ubi & satis manifestè *Mutius Scaevola* & *Julius Miscella*, ille ut Cautionis, hic verò ut author Legis hujus sibi invicem opponuntur. Probaverim ergò dictam esse ab Authore *Julio Miscella* cum *Schärschmidio ad Nov. 22. c. 43. th. 12.* Add. prolixius *Gothofr. ad d. loc. lit. b.* & *Robert. 1. animadv. 2. Stephan. ad d. c. 43. n. 32.* ubi authorem *Julian Miscellum* vocat. Nec defunt Doctores, qui Legem hanc non *Juliam Miscellam*, sed *Miscellam* appellare conantur, sed nullâ nituntur, nisi propria autoritate. *Schottel. de sing. Germ. Vet. jurib. c. 1. §. 33.* *Goeddeus de V. S. ad l. 128.*

XX.

De tempore quo lata appellat vetustam & antiquam; Legem hanc *Juliam Miscellam* Imperator *Nov. 22. c. 43. pr. hæc lex.* Jctos de tempore, quo hæc lata fuerit, ortæ: *Robertus enim in lib. 1. animadv. c. 2.* argumentum desumpsit ex *Nov. 22. c. 44. circa med.* Ubi secundum *Vulgarem* legimus, *Quintus Mutius Scaevola hoc præsanxerat*, igitur latam fuisse post *Scaevolam* asserit. Alii autem, ut *Goeddeus in l. 128. de V. S. n. 1.* Illam *Mutio Scaevolæ*, & consequenter etiam *L. Jul. & Papiæ* quæ, ut dictum *th. 16. & 17.* sub *Augusto* demum latæ, antecesserit;



tecessisse contendunt. Fundamentum hujus sententiæ desumunt ex Versione Haloandrina, quæ, pro *presanciverat*, habet *apposuit*. Hujus autoritate motus idem jam statuit Balduinus & plerique veteres Jcti, nempe Scævola Cautione hanc adjecisse *L. Julia Miscella* & ita Scævola posteriorem aut eorum saltem *Legi Julia* fuisse. Non vereor Roberto iterum cum Franzk. *lib. 1. Resolut. 15. n. 19.* adscipulari: si n. Balduini & Goeddei sententiam accuratius paulò intueamur, maximè absurdum inde flueret, quòd Justinianus *Legem* nostram corrigere voluisset, cum jam satis in *Lege Papia* correctæ esset; Etenim *Papia Poppæa* lex conditionem, si non *nupsit* non admittebat, *Lex Miscella* autem conditionis implementum desiderabat; Fuit ergò exinde *L. Jul. & Papiam* restrictam paulò per *Legem Miscellam* fuisse. Muller. *ad Struv. Exc. 35. th. 97. lit. v.*

XXI.

Hac autem *L. Jul. Miscella* quid cautum fuerit, apparet *Mens L. J.* satis evidenter *ex l. 2. C. d. ind. viduit. it. ex Nov. 22. c. 43. & 44. Miscella* sc. servanda non fuit ex illa *Lege* conditio viduitatis adjecta, *explana-* sed remittebat legato ab uxore vel marito appositam. *Nov. 22. tur. c. 43.* velut contra matrimonii libertatem. *l. 63. ff. de Cond. & Dem. v. gr. si maritus uxori vel vice versa quid reliquisset sub conditione si non transferit ad secundas nuptias, Legatum, vi Legis Jul. Miscella* Legatario petendi jus erat & nihilòminus impune nubendi; dummodò intra annum Legatum petat, & juret se *Liberorum procreandorum causa nubere & nuptias iterare*. Ast post annum non dabatur relictum nisi præstita Cautione, quòd in casum, si ad secundas nuptias transfiret, omnia restituere cum fructibus vellet. *d. Nov. c. 43. Cujac. ad Tit. C. de Ind. Vid. Id. in Nov. 22. inf.* Hanc autem Cautione, vel ut cum Justiniano loquar, *adjectionem ipse Julius Miscellus haud invenit, sed Quintus M. Scævola hoc presanciverat, d. N. & d. c. Scharfschmit ad Nov. Exc. 7. th. 13. Stephan. ad eand.*

XXII.

Hanc legem tam ad uxores, quàm ad maritos pertinuit. *Tam ad istæ, quibus prædefunctæ conjuges aliquid sub conditione, ne maritos, C a secun- quàm ad*

uxores
pertinuit.

secundas nuptias contrahant, reliquerant, indubitatum est per l. 3. C. d. Ind. Vid. Nov. 22. c. 44. in pr. arg. l. 79. §. 4. ff. de Cond. & Demonstr. Non quidem, ut Cujacio placet in Paratitl. C. d. Ind. Vid. ex æquipollente sermone, sed naturali ratione hoc inducitur, & Imperatoris verba apertissima sunt, cum secunda vice repetit sublatam esse, tam in fœminis, quàm in masculis hanc Legem, si e. non pertinuisset, tam ad fœminas, quàm ad marres nihil opus fuisset abrogatione expressa, d. l. 3. Nov. 22. c. 29. pr. Et supr. th. 19. diximus plurimos Doctores ex hac dictam fuisse *Miscellam*, quasi *Miscellaneam*, contendere, quod tam ratione virorum quàm mulierum beata habita fuerit hæc abstinencia. Nihil autem intererat, num Legatis, num ipsi Hæredum institutioni conditio talis adjecta fuerit. Nov. 22. c. 44. §. 9. in f.

XXIII.

Et ad ex-
traneos
contra
Franz-
kium,

Dei'n quoque extraneus cuihbet alii, cui vellet, adscribere poterat hanc conditionem Legato, aut Hæredis institutioni. *Auth. cui relictum. C. d. Ind. Vid. Dissidentem hic a. habemus Franzk. qui lib. 1. Resolut. 15. n. 31. & seqq. se fundat in Nov. 22. c. 44. pr. ubi Imperator de uxore saltem & Marito unicè mentionem facit; sed pugnat ille cum plurimis Veteribus Jstis, & ipsis textibus apertissimis Juris, unde respondemus meritò cum Antonio Mercatore, Cujacio ad Nov. 22. circa fin. aliisque permultis magni nominis, nihil interesse, num maritus conjugium extraneus extraneæ sub tali conditione aliquid relinquat propter *Auth. cui relictum* §. l. 3. C. d. Ind. Vid. Itemque Nov. 22. c. 44. §. 8. qui textus de non conjugibus, extraneis expressè agunt.*

XXIV.

Quòd autem primo anno mulieres juramentum præstare debuerint, se Liberorum procreandorum causa nubere sec. Nov. 22. c. 43. aut uxorem ducere Viri, ejus ratio ex l. ult. C. Quand. Mul. off. Tut. fung. dignoscitur, & hæc faciunt ea, quæ ib. 2. & 4. adducta: Imprimis autem vidua intactam existimabatur pudicitiam servare, si ad secundum non convolaret thorum: Hinc & apud Valer. Max. lib. 2. c. 3. Matronæ spectatæ pud-

pudicitia, qui cubile virginitatis egredi nesciant, in viduitatis statu permanentes nominantur. Et Imperator, optimum atque laudabile, & dignum oratione esse *asserit*, si mulieres ita se honestè tractent quatenus, quæ semel ad virum venerunt, serventque inviolatum morientium thorum, & *hujusmodi mulierem* & *miramur pariter* & *laudamus*, & non procul à virginitate ponimus, subjicit in *Nov. 2. c. 3. in med.* Debit idcirco animum juramento probare, se non libidinis causa, & ex illegitima intemperantia ad secunda transire vota, sed ipsi quoque laudem debere illæ castitatis, dum *liberorum procreandorum causa* hoc ageret, ut *Sp. Carbilii jurasse dicitur apud Censores referente Cujacio in exposit. Nov. 22. circa fin. & Gothofr. ad l. 220. §. 3. ff. d. V. S.*

XXXV.

Sic quoque & in aliis casibus Romani testationem interponere necessum habebant *se filiorum procreandorum causa nubere.* Huc & *alie interpositiones* & *testationes* & *pertinebant.* Et hoc Lege Junia Norbana cautum erat si Latinus civem Romanam, vel Latinam uxorem ducere volebat, illud fieret hac testatione, ab authore, Norbana dicta, interposita, quod *filiorum procreandorum causa* ageret, Ulpian, in *fragm. Tit. 3. §. 3.* Formula quoque hæc, *liberorum procreandorum causa nuptias contrahi*, vulgò tabulis nuptialibus inseri solebat secund. Tac. lib. 2. *Annal.* Adhibitis qui obsignarent, velut *suscipiendorum liberorum causa convenisse.* Augustin. lib. 3. *contra Julian.* Et uxorem non propter libidinem, sed *filiorum procreationem* accipi testatur, *Serm. 244.* Et innuere idem videtur *Ambros. sup. Lucam lib. 1. c. 1.* cum qui non *procreanda sobolis causa*, inquit, sed explendæ libidinis sibi invicem copulantur, non tam conjungi, quàm fornicari videntur. *cap. 1. quest. 2. caus. 32.* Unde & Jetus Callistratus in *l. 220. §. 3. ff. de V. S. Liberorum procreandorum animo* & *voto nuptias contrahi asserit.*

XXXVI.

Præterlapsò verò anno ei legatum accipere non licebat, nisi Cautione interposita se omninò conditionem impleturam. *Nov. 22. c. 43.* Qualis autem hæc fuerit ipse Justinianus *inditionem* *mutias* *de nam.* cat *d. Nov. 22. c. 43.* nempe Cautio, quam Mutianam nominant, ab Authore Quinto Mutio Scævola. *d. N. Gudelin. de nam.*

J. Noviss. lib. 2. cap. 12. præstanda erat. Scævola hic Publii Mutii Pontificis, qui & ipse Pontif. Max. fuisse, & Jus Civile primus constituisse generatim in libros decem & octo redigendo, traditur à Pomponio l. 2. §. 41. ff. de O. J. Quem & Juris peritorum eloquentissimum vocat Cicero in Bruto & de Oratore. Plura de eo vid. ap. Val. Forster. *Histor. J. Civil. Rom.* lib. 2. c. 33. Cautio autem hæc quàm varie in jure nostro dicitur, plerumque verò sub nomine Cautiois venit, ut l. 7. pr. t. 77. §. 1. ff. de cond. & Demonstr. Nov. 22. c. 43. l. 2. l. 3. C. de Ind. Vid. & innumeris aliis locis: alibi simpliciter Cautio ut in l. 65. §. 1. ff. ad sct. Trebell. Auth. Cui relictum C. d. T. Item Remedium l. 7. pr. l. 79. §. 3. ff. d. C. S. D. it. exemplum Cautiois Mutiane, l. 77. §. 2. eod. sapius satisfatio Mutiana nominatur. l. 67. l. 106. d. T. Definitur autem à Christoph. Kellinghus. in *Tract. de Cautione Mutiana* c. 1. th. 5. Quòd sit Cautio, qua is, cui aliquid relictum sub conditione non faciendi, que non nisi vitæ fini impleri potest datis fidejussoribus cavet ei, ad quem deficiente conditione id jure Civili perventurum est, se conditionem impleturum, aut si contrà fecerit, restitutum, aut ipsam, quod accepit, aut ejus estimationem cum fructibus medii temporis. l. 18. l. 73. ff. d. T. l. 65. §. 1. ad sct. Trebell. Nov. 22. c. 44. Cautiois hujus permagna est utilitas, & effectus producit egregios: Pendente enim conditione Cautiois Mutiane sunt iidem effectus, qui impletæ, cujus vicem ea sustinet. l. 4. §. 1. ff. de Cond. Insti. Statim atque Cautio interposita est, si is, qui cavet, hæres institutus est, hæreditatem adire poterit, sin Legatarius Legatum consequetur, die statim cedente, ita ut sit exigendi facultas, subitòque peti & agi ex testamento possit, Kellingh. d. tr. c. 6. th. 2.

XXVII.

Quomodo præstetur in jure nostro sub satisfationis nomine venire, ut l. 67. l. 106. ff. de Cond. & Demonstr. Quo ipso jam apparet, quomodo præstetur, datis nempe fidejussoribus l. 1. ff. de bis q. satisd. cog. l. 7. ff. de Prator. stipul. l. 4. §. 8. de fideicom. libert. l. 9. §. 3. ff. de pign. Act. Cum sapius plus cautionis sit in persona, quàm in re. Ast Justinianus in Nov. 2. c. 44. in casu indictæ Viduitatis rem ita

ita temperavit, ut juratoria cautio cum generali hypotheca omnium bonorum, si immobilis relicta sit, sufficiat. *d. Nov. 22. c. 44. §. 2.* si & idoneus & dignus cui credatur sufficiet hypotheca. Si verò in mobilibus consistat legatum, vel pars hereditatis relictae, iterum si possit ejus fidei committere, satis tutus erit hæres *sec. d. N. §. c. §. 3.* itemque *Auth. Cui relictaum. C. de Ind. Viduit.* si eandem cautionem exigat, sin verò minus, fidejussoriam postulare poterit. *d. Auth. Quid autem si persona honorata fidejussores præstare non possit sec. d. Nov. nostram c. 44. §. 5.* sufficiet juratoria cum hypotheca. Sed ob stare hic nobis §. 7. *d. c.* videtur, qui vult, ut maneat apud hæredem legatum, & legatario præstentur trientes, (*vid. th. seq. in fin.*) usque dum manifestum fiat, cum omnimode conditionem impleturum, aut illam impletam jam esse: sed *Rf. §. 7.* de auro expressè & ita de pretiosis quoque, de quibus periculum est, ut aufugiat cum iis, loqui, §. 5. verò de omni re mobili agere.

XXVIII.

Traditur ergò mediante hac Cautione post annum viduo, aut viduæ legatum aut hæreditas relicta, sub promissione de restituendo cum fructibus medio tempore perceptis, si conditioni non fuerit satisfactum, *arg. l. 7. de cond. & Demonstr. l. 79. §. 2. eod.* si autem certa summa pecuniæ (v. gr. mille) relicta est, & summam & usuras ex pecuniis redactas reddere debet, *d. ll. Nov. 22. c. 44. §. 4.* & hoc quidem jurijjurando legatarii relinquitur, quænam perceperit *d. §. 4.* si verò honoratus scænorii eam non exposuerit, sed in suos usus converterit, tertias centesimarum, seu trientes uti vult *Gothofr. ad d. Nov. §. 4. §. 7. lit. b. l. 6. §. 1. C. de sec. nupt. præstabit.* Insuper si res mobilis & depretiata fuerit, diminutionis partem mederi debet honoratus §. 3. *d. c.* Qualem autem præstat legatarius ita depauperatus, ut minùs idonee se habeat ad fidejussionem, & nec ipse dignus sit cui credatur? *Respons. in ipsa Nov. 22. reperitur. c. 44. §. 7.* nempe apud hæredem maneat, & trientes ei solvat, quas pendere debet hæres, usque dum Legatarius Secundas nuptias contrahat, aut fiat manifestum nullatenùs istum ad

Datur
relictaum
præstita
Cautione.

ad nuptias perventurum, quod fit dupliciter sec. Imperatorem, per mortem nempe, aut si se ipsum in monasterium detruat & se sacris foveat *d. N. § c. §. 7.* Priori casu in continenti hæredes relictum accipient, posteriori verò ipse petet, *d. l. nihil de datis usufris reddens, sive fervet, sive non,*

XXIX.

Quibus
præsetur,
ubi Wis-
senb, &
Dn. Stry-
ckii senten-
tia rejici-
tur.

Præstanda est iis hæc Mutiana Cautio, quorum interest, conditioni viduitatis non parere viduum, aut viduam. *l. 18. 67. l. 80. ff. de cond. & Demonstr. l. 65. §. 1. ad S. Trebell. Gudelin. de J. Noviss. lib. 2. c. 12.* seu à quibus quid datum, vel donatum est. *l. 7. pr. §. 1. de cond. & Demonstr. §. 1.* sub hac conditione viduitatis cohæredem habeat, cui caveat in aprico est, sc. cohæredi. Unde porrò fluit, per *d. l. 18. §. Nov. 22. c. 44. §. ult.* quòd in casu, si cohæredem non habet, hac conditione gravatus, caveat hæredibus ab intestato (si nempe conditioni non satisfaciatur) successuris: quo ipso correctum esse jus vetus in *l. 7. §. 1. de cond. & Demonstr. §. l. 4. §. 1. de cond. Inst:* utpote per quod Cautio locum non habuerit, si cohæredem non haberet, cum nemo adsit, cui caveat, vult Dn. Stryckius in *U. M. P. ad Tit. ff. de Cond. & Demonstr. post Wissenb. Vol. 2. Disp. 8. n. 5.* Sed optimè me Judice statuit Dn. Voet, ad *ff. T. d. Cond. Inst. n. 7.* rationem decisionis in *d. l. 7.* esse, quia ipso jure jam impleta videtur conditio, si maritus ex asse institutus sit hæres sub conditione, si dotem non exegerit, dum nemo adest, quem possit de dote convenire, ipse adeundo hæreditatem totam, & ita obligationem dotis perimendo in totum confusione facta, adeoque, uti nullus est, ad quem hæreditatis illius spes pertinere potest, conditione jam impleta, ita quoque nullus existit cui caveri possit. Ad legem autem *4. de Cond. Inst.* Responso facillima est, ponendi enim sunt in ista lege termini habiles, quando scilicet nullus existit, qui hæredi ex asse instituto substitutus, aut cui hæreditas ab intestato deferri potest, sic enim est illa conditio, si servum hæreditarium non alienaverit, impossibilis, quia nullum ostendit cui caveret; porrò implere non potuit, dum

dum nullum offendit, & nullus adest, cujus interesset conditionem non impleri. Voet. *alt. loco.*

XXX.

Si verò Legatario sub hac conditione, viduitatis nempe, legatum relictum sit, caveri dubio procul hæredi debebat, & hoc per L. Jul. Miscellam cautum erat Stryck. *in U. M. D. d. T. §. 3.* In primis autem in casu quo, si ad secunda vota transferit, res legata ad substitutum veniret, l. 67. ff. *de Cond. & Demonstr.* Substitutus enim talis non ab instituto Legatario legatum accipit, sed ab hærede hoc postulat: Igitur hæres sibi meliori modo prospicere debet, ut deficiente conditione, vel si non paruerit scriptæ interminationi, sive contra cautionem actum fuerit à Legatario instituto, implere defuncti voluntatem & legatum in substitutum transferre possit Stryck. *Uf. M. P. d. Tit. §. 3.*

XXXI.

Quod si autem in eum casum fideicommissum gravatus sit viduus aut vidua, dicerem cum Domino Stryckio d. L. cautionem hanc præstandam esse non hæredi, sed fideicommissario, v. gr. ita in testamento scriptum, *Cajo fundum Tusculanum do, si in viduitate manserit, sin minus volo, ut illum restituat Sempronio*; Hic Sempronius absque dubio sibi consulere & cautionem Mutianam exigere debet; Ratio differentiæ est, quod legatum immediatè ab hærede præstetur, non verò fideicommissum, quod per intermediam personam, Cajum nempe fiduciarium consequitur Sempronius. Stryck. *U. M. P. d. T. inf. §. 3.* Quod si plures fideicommissariorum, & gradus diversi sint, etiam ultimus rectè petet Cautionem à primo fiduciario, quoties præcedentes, vel per absentiam, aut negligentiam eandem non petierunt, *arg. l. 5. §. pen. & ult. ff. ut in poss. legator. nom. vid. Peregrin. de fideicommiss. art. 40. n. 10. Voet. ad ff. lib. 36. Tit. 3. n. 2.*

XXXII.

Verùm hæc omnia Justiniano Imperatori displicuerunt, & nova constitutio mulieribus a maritis, sprete defunctæ personæ interminatione, nuptias alias sequi & nihilominus

D

*Abrogavit
L. Miscel-
lam Justi-
nianus in
ca. Codic.*

pere permittit, quæ sub viduitatis conditione relicta, data aut donata erant, absque ulla Cautionis Mutianæ aut Juramenti præstatione l. 2. C. de Ind. Vid. Nov. 22. c. 44. Et ita planè abrogavit legem istam. Jul. Miscellam arg. rubr. § Tot. Tit. C. de Ind. Viduit. § L. Jul. Miscella tollenda. Factum hoc est Anno Chr. DXXXI. 10. Kal. Mart. Constantinop. post Consulatum Lampadii § Orestis. Indictione IX. Imperii Justiniani Anno V. Tacite itaque revocavit jus vetus, nempe LL. Juliam & Papiam Poppæam, de quibus jam satis suprâ dictum.

Quando?

XXXIII.

Verim revocavit eandem Jure Novell.

Ast non diu duravit hæc Constitutio, & jure Novellar. nempe Nov. 22. c. 43. § 44. aliquatenus iterum derogavit hisce suis constitutionibus Imperator; fancivit enim, si à marito uxori, sive ab uxore marito, aut ab extraneo sub conservandæ viduitatis conditione supremo suo elogio concesserit res aliquas sive legatum, sive hæreditatem, partemve ejus omninò servandam esse conditionem; Alioquin si mulier nuptias præoptaverit, legatum amittet, d. N. c. 44. pr. quasi eo videatur indigna, quæ charitatem liberorum & mariti memoriam nuptiis postposuerit. Perez. in Cod. Tit. de Ind. Vid. n. 8. Quod si autem pudorem & jura prioris matrimonii resolvere nolit, Legatum consequetur præstita Mutiana (dictis in th. 26. § 27. modis) Cautione, de re cum fructibus restituenda. dict. Nov. 22. c. 44. §. 3. si contra voluntatem defuncti fecerit, si ad secunda vota migraverit. Auth. cui relicta. C. d. Ind. Viduit. Constitutionem hanc novam componi & promulgari curavit Anno Christi DXXXVI. 15. Kalend. April. post Consulatum Belisarii anno primo, Indictione XIV. Imperii Justiniani X. Ita ergo Lex Julia Miscella post quinquennium ferè, quoad validitatem adjunctæ conditionis & præstandæ cautionis necessitatem postliminio revocata fuit: præterquam mulieri quòd nubenti intra annum jurandi illam necessitatem de animo sobolis procreandæ, utpote periculosum aliquid, cum naturâ maxima eis cupiditas in hoc constituta sit l. 2. C. de Ind. Vid. remiserit, d. l. 2. § d. Nov. 22. c. 43. Perez. in Cod. d. T. inf.

Quo tempore?

XXXIV.

Non à vero abluere viderur Dn. Strykius in *U. M. ad T. Rationes ff. de Cond. & Demonstr. §. 5. in med. §. 6. pr.* quando statuit *hujus revocationis.* rationem hujus correctionis esse ex suggestione Cleri petendam, qui odio secundarum nuptiarum ducebantur, adeoque facile Justinianum Clero nimis deditum induxerunt, ut revocaret L. Miscellam. Aded enim odiosæ erant, ut secundò nubentibus benedictionem denegarent, nec non pœnitentiam indicerent, c. 8. *Caus. 31. quest. 1.* Et Chrysofomus in *cap. 9. ibid. secundas nuptias verè fornicationem esse existimat*, de quo plura alia testimonia in scriptis Tertulliani occurrunt, & nolumus hic actum agere, sed *vid. th. 2. §. seqq. supra.*

XXXV.

Et quidem hæc Conditio non tantum admitta est in te. *Tam in* stamentis Conjugum; sed extraneorum quoque, ut patet ex *Conjugum Auth. Cui relictum, §. l. 3. C. de Ind. Viduit. Nov. 22. c. 44. §. 8. quàm & Brunnem. ad eund. T. C. n. 6.* Quamvis enim habeamus, uti extraneoriam supra dictum th. XXIII. Franzkius & Robertum dissentientes in *lib. 1. Animadvers. jur. Civ. Animadvers. 2.* qui hanc correctionem non extendi debere ad extraneorum testamenta, *revocata,* tanquam summe quid odiosum existimant. Attamen cum adducta ratio de *Odio secundarum Nuptiarum* tam generalis sit, ut aperte intentionem Justiniani prodatur & probet, quod secundas nuptias in genere restringere voluerit & *alleg. auth. §. l. 3. expressè* illud contineant; imò hæc communis ferè omnium sctorum sententia sit, ut ipse Franzkius *Lib. 1. Resol. n. 30.* testatur, non possumus non nisi juri huic expresso ad stipulari, Accedit quòd *Car. p. 20. P. 1. Decis. 156. n. 17.* præjudicio hanc opinionem confirmet, *vid. in super Stryck. in U. M. ad Tit. ff. de Cond. & Demonstr. §. 5. circa fin. Mantica de Conjectur. ultimar. volunt. lib. 11. Tit. 19. num. 17. & Menoch. lib. 4. Presunt. 186. n. 6.*

XXXVI.

Sed quid, si vidua ea, quæ sub viduitatis conditione *re. Mulier ite-* relicta erant, habere cœperit vidua facta, sed dein ad alia tran- *rato ad vi-* seundo vota, *sec. Nov. 22. c. 44.* & vi Cautiois relicta, & ac- *duitatem* cepta cum omni fructu & emolumento mediis temporis resti- *veniens non*

recuperat
relictum &
missum.

tuere compulsa fuit , iterato ad viduitatis statum redacta, num relictæ erit recuperatura ? Negando Respondemus. I. Quoniam uti non potest post dissolutum secundum matrimonium ad prioris mariti dignitatem & honores reverti arg. l. 8. § l. 12. pr. ff. de senator. Nov. 22. cap. 36. Speckhan. quest. centur. 2. class. 1. quest. 8. n. 3. Costalius ad d. l. 8. n. 21. 22. Guido Papa Decis. 380. Voet. ad ff. T. de Senator. n. 8. Ita nec ad ea, quibus sese indignam reddidit, novos novi mariti amplectendo amores & pristini mariti memoriam exuendo, II. Quia conditio viduitatis strictissimo in sensu accipienda est. III. Quia uti in legato uxori per maritum scripto, si illa quodocunque liberos habuerit, impleta non censetur conditio, si illa ex alio, quàm marito legante liberos susceperit, etiamsi post extinctum secundum matrimonium ad priorem maritum à quo divorcerat & alii nupserat, reversa sit, l. 25. ff. de cond. & Demonstr. ita quoque in legato sub viduitatis conditione dato, viduitas non spectata fuit, quæ alterius, sed quæ ipsius mariti legantis intuitu secuta est, arg. d. l. 23. confer. Simon van Leewen, Cens. forens. part. 1. lib. 3. c. 4. n. 29. Voet. ad ff. Tit. de Cond. & Demonstr. n. 13. in f.

XXXVII.

Hodie
omnino
servanda
erit, si lega-
to velit
frui lega-
taria.

Num verò hæc conditio, si in viduitate permanferit, hodie adhuc valeat & servanda sit, oritur quæstio, de qua & eruditissimi Legum & Juris Interpretes inter se non conveniunt. Negat Oldendorpius de usucap. § præscr. tit. de nupt. n. 7. Negat Christinaus Vol. 3. decis. 3. n. 7. Negant è Batavis Groenweg. de LL. abrog. ad Tit. C. de Ind. j. Viduit. Simon van Leewen Cens. for. p. 1. lib. 3. cap. 5. n. 29. Voluntque conditionem viduitatis remittendam esse omnino, eaque spreta nihilominus deberi & retineri legata ac hæreditates: Attamen cum rationes eorum tantæ non sint, ut propterea à Jure Civili Romano recedendum esse videatur, veriorem putamus sententiam Dispositioni juris Novissimi in d. N. 22. c. 44. omnino standum esse, Non enim apparet (I.) praxi hoc immutatam esse, in dubio ergo standum juri Novissimo, quod veteri derogat. (II.) Nulla huic conditioni inest turpitudò moralis, sed quæ olim ad-
fuit

Ejus ratio-
nes variae.

fuit unicè ex L. Julia & Papia deducta est, quæ verò cum hoc casu sublata sit, meritò dispositio Novissima valebit. Stryck. *U. M. P. ad T. de cond. & Demonstr. §. 6.* Cui accedit, quòd perperam (III.) hæc conditio referatur inter eas, quæ publicæ utilitati, honestati, bonisve moribus adversantur, ut pluribus probat Someren *de Jure Novercar. c. 1. n. 4.* Et quamvis (IV.) non diffiteamur, nihil tamen in contrarium nos movet, apud nos protestantes odium secundarum nuptiarum planè cessare: Neque (V.) quod dicitur *in d. Nov. 22. c. 43.* hoc ipso prioris mariti contristari animam, ideò absurdum dicendum est, quòd mortuus homo contristari nequeat, & & illius nihil intersit matrimonium superstitem repetere, nec ne, dum hæc contristatio non intelligenda intuitu secundarum nuptiarum, quæ omninò licitæ, legitimæ, honestæ sunt. *Nov. 2. c. 3. Nov. 39. c. 2. pr. vid. Jupr.* sed quod retinere cupiat, quæ maritus ipsi sub hac conditione, *si non nupserit*, reliquit, & nihilominus secundo nubere, quod certè incivile est, & contra desiderium mariti, cujus etiam defuncti voluntas ii sancta esse debet. *l. 1. C. de sacros. Ecclesi. Nov. 22. c. 2. (VI.)* Accedit, quòd ipsi dissentientes uno ore fateantur adhuc hodiernis moribus rectè conjugii superstiti aliquid posse relinqui usque ad tempus, quo ad secunda vota transiverit, ita, ut post nuptias iteratas illud absque emolumento medii temporis ad hæredes defuncti remeare debeat; Quare ergò non posset disponi, ut post nuptias secutas secundas cum omni emolumento, fructibusque, s. usuris medio tempore perceptis ad Testatoris hæredes redeat, certè non capio: Sicut enim non est pœna cum ob nuptias reiteratas res ipsæ redduntur, ita nec pœna dicenda, cum, & ipsa res, & fructus rerum restituenda sunt, præsertim facta si erit largitio ei, cui neque agnationis, neque cognationis gradu conjunctus erat donans: sanè utroque casu, tantum depulsio erit ab illo lucro, ad quod invitatio, sub viduitatis ascripta conditione, facta fuit. (VII.) Communis hæc ferè omnium & Doctorum & Practicorum est sententia, defendunt eam Salicetus *ad Auth. cui relictum. C. de Ind. viduit. Vigelius Method. Jur. Civil. p. 4. lib. 14. c. 3.*

n. 2. Bartolus in l. si vir uxori. 61. §. ult. Et in l. sed si hoc. 62. §. ult. ff. de Cond. Et Demonstr. Mantica de conjecl. Ult. Volunt. lib. 11. Tit. 19. n. 2. Stryck, in U. M. P. ad Tit. de Cond. Et Demonstr. §. 6. Franzk. lib. 1. Resol. 15. per tot. Somerea all. c. 1. n. 4. Et seqq. Voet. ad ff. Tit. de Cond. Inst. n. 13. itemque Müller ad Struv. Exc. 35. th. 97. lit. v. in fin. (VIII.) Confirmant hanc præjudiciis Carpzov. P. II. Decif. 156. n. 22. Et Alleg. D. Someren de Jure Noverc. c. 1. n. 4. Ex Ann20 Roberto, Gomefio, Francisco de Barry Et Freder. Solis.

XXXVIII.

Non tamen extendenda constitutio Justiniani ad conditionem cœlibatus.

Quæ autem constituta sunt ab Imperatore nostro Justiniano, in viduitate mulieri injuncta, neutiquam extendenda sunt ad conditionem cœlibatus, seu si virgini adscripta sit conditio, si non nuptias contraxerit; sive nunquam desponsata fuerit, sive sponsa quidem est mulier non facta: Adeoque hanc conditionem omnimode etiam hodie esse detrahendam, Legato salvo, vel hæreditate assererem & licentiam esse virgini dicerem prouti juri veteri relicta capere & in matrimonium coire, acsi nulla non nubendi conditio adjecta fuisset; Nam (I.) omnis correctio est interpretanda strictissimè per dictam autem Nov. 22. correctum est saltem jus in viduis, non autem in virginibus, quod in statu suo permansit. (II.) Minor erat secundarum nuptiarum favor, quàm primarum. (III.) Et virgo non tam facilè à matrimonio abstinet, quàm vidua, cum huic, non verò illi matrimonii onera cognita sint, cum maximam cupiditatem in hoc constitutum esse, & ad hoc naturam genuisse mulieres ut partus ederent testetur, l. 2. C. de Ind. viduit. & Poëta.

Nascitur ad fructum mulier prolemque futuram.

(IV.) In hanc sententiam pedibus quasi eunt nobiscum Franzk. lib. 1. Resol. 15. n. 40. Et seqq. Gomez. variar. Resolut. Tom. 1. c. 12. n. 7. 8. Perez. In Cod. tit. de Ind. viduit. n. 9. Michael Grassius de successiõibus §. Legatum. quest. 50. n. 4. 5. 6. Stryckius in U. M. P. d. t. §. 5. Idem in Disput. de Jure Primi cap. 2. membr. 4. n. 41. Et seqq. Gravina de Orig. Jur. lib. 3. p. 597. Nec in ea conditionem admittemus de non nubendo, quæ nupta quidem sed nondum in viri domum deducta, aut ab eo cognita fuit, cum talis loco virginis sit: Et si enim consen-



sensus faciat nuptias, non concubitus & imposita benedictio, attamen Jure Germaniæ pro uxore non habetur, nisi copula carnalis accesserit. Monente Baldo ad l. 2. C. de Ind. viduit. & Ant. Gomez. d. l. 1. variar. Resolut. c. 12. n. 78. vid. Perez. in Cod. d. T. n. 9. Observandum quoque erit, quod, si vidua, cui injuncta viduitas est, sponsalia secunda contraxerit mortuo ante consummationem sponso nondum excidat Legato, testante Brunnem. ad Tit. C. de Ind. viduit. n. 7. Richtero ad Auth. Presertim C. de sec. Nupt. n. 14. § seqq.

XXXIX.

Quousque autem extra prædicta conditiones aliæ possibili-
 les & honestæ sint ratione secundarum nuptiarum, adeoque
 vel implendæ, aut legato carendum, instituti nostri non est
 hîc latè pertractare, cum non injungant viduitatem, sed ad
 matrimonium certa lege invitent; breviter idcirco & per
 transennam quasi notemus conditionem valere, si cum consilio
 Titii ad secunda vota transierit. Minimè verò, si ex arbitratu Titii,
 seu arbitrio ejus l. 28. pr. l. 72. §. 4. ff. de Cond. & Demonstr. quia
 aliud longè est arbitrium, aliud longè consilium. Brunnem.
 ad Tit. C. de Ind. Vid. n. 17. § 18. Mantica de conject. Ult. Volunt.
 lib. II. Tit. 8. § 9. Barry de successione lib. 17. tit. 14. § 15. Perez.
 in Cod. d. T. n. 4. Et Quintilianus declamat. 207. Nusquam ait,
 libertas tam necessaria, quàm in matrimoniis est; Quis enim alieno ar-
 bitrio amare potest? Ejusdem ferè farinæ videtur conditio hæc,
 si Titio nupsit, si Cajam duxerit, l. 63. §. 1. l. 71. §. 1. de Cond. & De-
 monstr. l. 23. l. 24. de Cond. Inst. Modò honestè Titio nubere, aut
 Cajam ducere possit, aliàs habetur, ac si ascriptum fuisset in
 genere, si non nupsit. Voet. ad ff. tit. de Cond. & demonstr. n. 11.
 Imò revera pro Caja durior est, nam cæteris nubere prohi-
 betur, & Titio, cui inhonestè nuptura sit nubere jubetur. d. l.
 63. §. 1. de Cond. & Demonstr. l. 3. §. 5. de bonor. poss. contr. Tabb.
 Colleg. Argentorat. ad tit. de Cond. & Demonstr. th. 6. n. 11,
 Peckius de Testam. Conjug. lib. 1. c. 24. n. 5. Franzk. lib. 1. Resol. 15.
 n. 44. Mynsinger Cent. 6. Obs. 31. Ejusd. quoque generis est, si
 Titio non nupsit, vel ita si neque Titio, neque Sejo, neque Maxio
 neque Sempronio nupsit. Et denique si plures personæ com-
 pre-

Quid de si-
 milibus
 conditio-
 nibus ratione
 nuptiarum
 secunda-
 rum sit di-
 cendum.

prehenſæ fuerint, & placuit jurium compilatoribus, ſi cuilibet eorum nupſerit amiſſuram legatum, cùm tali non injuncta viduitas, nam alii cuilibet ſatis commodè & impunè nubere poterit & ſaltem nubere iſtis perſonis prohibeatur, *d. l. 63. pr. l. 64. pr. de Cond. & Demonſtr. Stryk. U. M. P. ad eund. tit. §. 5. Voet. d. l. n. 12.* Et conditio ſervanda erit, ſi ita ſe habeat. So ſie in das Adeliſche Geſchlecht ſich verheurahten / oder nicht verheurahten wird. Bardil. *De Legat. Condit. C. 3. th. 14.* Itemque ſi certo in loco nuptias contraxerit, modò alio in loco commodè vivere & nuptias contrahere poſſit. *l. 64. §. 1. de Cond. & Demonſtr.*

XL.

Si ad certum tempus viduitas injuncta ſervanda, præſertim ſi alius major favor ad-eſt. Non quoque ad eas, quas jura admittere nolunt, pertinet, ſi certum tempus adjectum ſit, quo à nuptiis ſecundis abſtinere debeat, uti v. gr. ſi à liberis impuberibus non nupſerit i. e. uſque dum liberi puberes tacti, quia favor liberorum militat hinc, & cura eorum magis quàm viduitas injuncta videtur. *l. 62. §. 2. in ſin. de Cond. & Demonſtr. Stryk. U. M. P. tit. eod. §. 5. Perez. in Cod. d. T. n. 3.* ſed malè ſe habet alter caſus in *d. §. 2. ſi à liberis ne nupſerit*, de qua conditione leges abhorrent, ratio ejus in *l. 72. pr. & §. 1.* invenitur, quia non voto matris tam ominoſa, imò luctuoſa conditio opponi debet.

XLI.

In fraudem tamen legis aliquid fieri non admittitur, quod probatur exemplis. Præterea autem ſi in fraudem legis aliquid factum omnino erit detrahendum, v. c. ſi patri aliquid relictum cum conditione, ſi filia ejus, quàm in poteſtate habet non nupſerit; Aut alio modo ſi v. gr. filiofamilias ita relictum, ſi ejus Pater uxorem non duxerit; *l. 79. §. ult. ff. de Cond. & Demonſtr.* Ratio prioris eſt, quia pater intuitu illius legati vel hæreditatis in filia nuptias neutiquam conſentiet, & ita unum idemque eſſet acſi filia conditio de non nubendo aſcripta fuiſſet, quoniam verò id in fraudem Legis fieret, idèdque hoc nolunt admittere leges *d. §. 4. l. 79.* Poſterioris verò ratio in eo eſt, quia perinde eſt, atque ſi patri ipſi ſub conditione non ducendæ uxoris legatum ſit, nam abſtinebit fortè à nuptiis tantummodò, ut conſequatur filius, & per conſequens & ipſe, quoniam patri filius acquirit, lega-

legatum aut hereditatem, sed cum talibus circumductionibus etiam LL. compilatores prospexerint, minimè admittetur istiusmodi fraus vid. d. l. 79. §. 4. confer. Perez. d. T. n. 5. vid. Gravina Orig. Jur. Civil. lib. 3. §. LVI. pag. m. 597.

XLII.

Diversum verò ab hoc est, & nihil prohibet extraneo aliquid legare sub hac conditione, si Titia, vel si Mevia non nupsert; quasi sub alia qualibet conditione: uti si vir legaverit Titio, si uxor sua permanferit in viduitate, muliere iterum nubente Titius legatum petere nequit, quia deficit, deficiente conditione: Idque scriptum reliquit Imperator Gordianus in l. i. C. de Ind. Viduit: Ratio differentiae est, quia hujusmodi conditione in personam alterius extranei collata, nulla mulieri viduitas injungitur, propter spem & commodum legati, nam mulier ex legato nihil consequitur, quamvis abstineat, utpote cui legatum non est: si igitur ambiat nuptias, nec Titius aliquid accipit, quia conditio deficit, Perez. ad d. t. n. 6. Sed aliud esset, si in hunc casum fideicommissum sit gravatus Titius & ita scriptum sit. Titio quinque millia do, lego, sed eadem quae so ut restituat uxori meae, si à secundis nuptiis abstinuerit, cautionem si interposuerit mulier consequetur, si verò secundi matrimonii onera subeat, utpote conditione deficiente Titius accipiet & utile erit Legatum propter fideicommissum l. 77. §. 2. ff. de cond. & Demonstr.

XLIII.

In l. 74. ff. de Cond. & Demonstr. adhuc alius continetur casus, ubi mulieri & Titio usufructus relictus sub hac conditione, si non nupsert mulier; Jura, uti dictum jam supra, conditionem hanc impleri nolunt, igitur dicendum foret, Titium si mulier nupsert, utpote deficiente conditione, nihil consequi; sed omnino dimidium usufructus accipiet Titius, quantum nubat mulier, si enim jura ita non disposuissent, quòd remittatur mulier, & mulier nihil caperet, cum verò cautum hoc Legibus, idcirco fingitur, acsi impleta conditio, & per consequens Titius dimidium usufructus habebit, d. l. 74. Voet. ad ff. Tit. eod. n. 12. Perez. in Cod. tit. de Ind. Viduit. n. 6. Gravina d. l. pag. 596.

E

XLIV.

Quid si extraneo aliquid legitur cum conditione, si extranea non nuptias contraxerit?

Si mulieri Titio sub conditione viduitatis mulieris usufructus relinquatur, quid juris?

ibet
hcta
bere
p. pr.
s. s.
eat.
nicht
que
odè
De-

erti-
ndis
i. e.
hic,
2. f.
erez.
beris
as in
nosa,

nni-
con-
alio
n non
est,
otias
filiæ
d in
d. f.
tque
a sit,
natur
irit,
lega-

De condi-
tionibus si
vidua erit
& donec
nupserit.

Rectè verò legatum relinquatur tam extraneæ quàm pro-
pria uxori sub conditione, si vidua erit, hæc enim formula lo-
quendi Romanis usitatissima idem significat ac cum vidua erit;
nam non impeditur capere cum maritus moritur, & postea
rursus alteri nubere, l. ult. C. de Ind. Viduit. Cum saltem illud
expectetur momentum, ubi ad viduitatem venit; additur
ratio in d. l. ult. in f. quòd relictum videatur in solatium suæ tri-
stitiæ. Nec dubium erit conditionem, si non nupserit, planè di-
versam esse, ab illa donec nupserit, so lange sie keusch in ihrem
Wittwen Stande verharren / und denselben nicht verrücken wird /
wiedrigenfalls soll dieses Gut an meinen Kindern Krafft dieses wies
der restituiret werden. Hoc enim casu secutus nuptiis lega-
tum quidem liberis restituendum venit, fructus tamen medio
tempore percepti penes uxorem manent, nec in restitutio-
nem veniunt, perinde enim est, acsi in singulos annos libe-
ralitatem aliquam contulisset & scripisset solvatur tandiu,
quamdiu vidua erit. Menoch. lib. 4. Presumpt. 187. Mantica. de
conjectur. ult. volunt. lib. 11. tit. 19. n. 17. & seqq. Peck. de Testam.
Conjug. lib. 1. c. 24. n. 2. Grassus f. legatum quest. 53.

Conditio, si
castè vixe-
rit non in-
jungit vi-
duitatem.

Insuper notandum quoque est per conditionem, si ca-
stè vixerit, non injungi viduitatem, nec prohiberi secundas
nuptias, nam & his inest vera castitas, cum castè vivere non
solum sit ab illegitimo complexu abstinere, sed & conjuga-
lem vitam agere, quam revera agit illa, quæ ad alterius venit
nuptias honestè, & ab omni luxuria abstinet, Per tot. Nov. 22.
Nov. 2. c. 3.

Epilogus.

Sufficiant hæc dixisse de L. Julia Miscella. Fateor restare
quidem plurima, quæ aliàs integro fatis ampla forent Volumi-
ni, sed disputatiunculam aliquam pro ingenii modulo exhibere
animus fuit. Interim Deus Alme pro clementissima assistentia
immortales Tibi persolvo & persolvam gratias, Tibi in poste-
rum me totum, studiaque mea commendo, dirige illorum
cursum ut in Tui Nominis cedant Gloriam, quæ est unicuique &
solus eorum scopus atque

ANNEXA.

I.
Plus Cautionis est in re, quàm in Persona.

II.
Bene dicit Imperator *Codicillum esse Testationem minus
Solemne.*

III.
Criminum pœnis nunquam præscribitur.

IV.
Fratrum filii si soli adsunt succedunt in capita.

V.
Actor ad agendum cogitur.

VI.
Justitiam belli utraque pars habere potest.

VII.
Absurdum est quòd Justinianus mortis pœnam dictitavit
ad adulterum, & adulteræ non æque, cum adultera merito
incurrere majorem deberet pœnam, quàm adulter.

VIII.
Falluntur DD. qui negant pœnam mortis in fures Jure
Civili statutam esse.

IX.
Durum est suspensorum corpora in patibulo quòd ma-
neant & Juri Divino contrarium.

X.
Non verò est injusta pœna suspendii.

XI.
Nimiùm sunt fallaces Quæstiones.

XII.
Jure Naturæ vita cum interneccione in vasoris, defendi
potest licet in præsentissimum æternæ damnationis peri-
culum incurrat.

XIII.
Pro conservatione rerum aggressorem occidere possum.

E 2

JOAN-

(36.) 50
JOANNES DIDERICUS CANNENGISSERUS
per anagr.

An cedes iis? Non, sed en surges in Curia!

Julia Lex ansam tibi dat Miscella Cathedrae
Pulpita scandendi, Viduum Viduamve salutans;
Lex agitata diu, dubia qua florida Praxis,
Nec certum finem potuit Testator habere.
Haeres namque suus mox hic, mox alter iniquos
Processus voluit, donec data Cautio, cujus
Mutius est author Quintus qui Scavola dictus,
Haec varii, variis libris, docuere periti
Juris; Sed capitum quot sunt, tot collige sensum
Millia. Tu verum Cannengiessere rectam
Luce sua monstras rem; prorsus cedere nulli
Audens; ac an iis cedes qui plaustra fovere
Scriptorum? non sed paucis componere multa
Solicitus; nimias laudes in Curia habebis;
En surges! sat sancta sequens vestigia Patris,
Curia quo nitens fulero splendore nitescit.
Gratulor ex animo, Tibi sint conamina fausta,
Ne cedas ulli, mage sit Tibi Curia certa,
Justitiam misero, quo fiat justa, petenti.
Surge Deo, Patriae & Domui, quo surge Volente!

hac
animo gratulandi
apposuit

J. V. Christiani,
Ribniz, Megapolensis J. U. C.

Madrigal.

BEL, & noble cœur
Suis tes sens, suis tes humeurs
Suis ton beau génie,
Car il montre des fruits,
Par d'exquis esters,
Qu' au jour tu mets;

Dans

(37.)
Dans toutes les Sciences,
Que Dieu t'avance,
Afin qu' en joie
Un jour Jete voie,
Parmi les Druides
Gens sages, & fort prudes,
Defendre bien les loix,
Les causes, & les Droits;
Si Dieu exauce mes voeux,
Tu feras toujours heureux,
Et ta gloire enfin
Sera donc sans déclin.

C'est ici le desir cordial
de Jacques Wilhelmi

en faveur de son tres honoré
& bien aimé ami.

*M*iscelle Legem tractas, præconia laudum
Fama frequens miscet, dum tua cepta probat,
Hinc est, quod sileam, satius dum scripta loquantur,
Ingeniumque Tuum prædicet ipse labos,
Ad sint in studiis porrò tibi Fata secunda,
Et cursum ceptum dirigat ipse Deus,
Duret in æternum perchari sedus amoris,
Orci quod nunquam semina debilitent,
Que natale solum, que junxit vincla juventus
Integra conservent extera regna, precor.

Ita
Nobilissimo Dno. Authori amico suo in-
tegerrimo candidè acclamabat

F. Berens. L.L.St.

ERgòne Tu patriam linques capturus honores
Quos Tibi pro studiis, conferret ipsa Themis?
Hoc te tentantem raucò comitata Camæna
Carmine se sociam jungere nostrà petit.

E 3

Ap.

Apprecor ut multos Tua laus accrescat in annos;
Et capias curis præmia digna Tuis.
Bremâque Te reducem lauru redimita gerentem
Tempora conspiciat, quam Tibi Musa dabit.

*Hicce paucis lineolis, non potes sed avaritia insinuat
stimulo, Nobilissimo Dn. Kannengieser, pa-
triam valedicens, sælix iter, perpetuanque
prosperitatem apprecari voluit*

Nic. Dröge, L. L. Stud.

TU Diderice ! dies Musis noctesque litasti,
Quæque Novena suo Turba tegit gremio;
Hæc TIBI declarant tenebrôsæ tempora noctis,
Vicit & assiduus Pieriusque labos.
Imbutum Sophiæ hinc sacris madidumque liquore
TE monstras, Themidis pœcla libasse Deæ.
Nox hinc nocturnis suadet lucubrata Camœnis,
Hæc TIBI permagnum sunt paritura decus.
Ast, AGNATE ! reor, nostris TE pellet ab oris
Hocce celestina, TUUM præcipitans abitum;
Lex Miscella parat lætam TIBI Julia laurum,
Cingeret ut doctas fronde Thalia Comas.
Perge bonis avibus ! Numen tuâ cœpta secundet,
TE Deus illæsum servet & incolumem.
Sunt mea vota, meas suspendens rite tabellas,
Haud ego desistam thura molare prius
Quam TU MAJORUM quæras PATRIUMQUE nitorem,
Astræque focos thuricremos videas.

*Hæc Nobilissimo eruditissimoque Disputanti Dn. Agnatæ
suo optandæque favitori gratulandus
ponebat*

B. L. Schlepe, SS. Th. St.





Bremen, Diss., 1640-1714




f

sb.

WDA







DISSERTATIONE JURIDICA
VALEDICTORIA

xlv.
1714, 2
21

**L. JULIAM
MISCELLAM
ABROGATAM ET**

DE NUO REVOCATAM
Favente DEO Optimo Ter Maximo

PRÆSIDE
VIRO Nobilissimo, Consultissimo atque Clarissimo
DOMINO

CASPARO à RHEDEN,

U. J. D. Eiusdemque Facultatis in Illustri
Gymnasio Bremensi Professore Cele-
berrimo Ordin. Publ.

Promotore studiorum suorum pio cultu
perpetuò devenerando
Exhibet

Et Publicæ ventilationi submittit
JOHANNES DIDERICUS

Kannengiesser Bremensis,
Responsurus Author

Ad diem XVIII. Maji An 1714. h. locòque consuetis.

BREMÆ,
Typis HERMANNI BRAUERI, Illustr. Gymn. Typogr.

v. xiii N. 3

